

## H O L L A N D I A.

tam Princeps cudit, & mutet, prout Ordines è re esse judicaverint: Ne quam principatus partem Princeps à se possit abdicare: Ne Ordinum Concilium extra fines liceat evocare: Princeps si quo tributo aut collecta opus habeat, ipse ab Ordinibus exoret: per Legatum id ne agat: onera, nisi sponte concessa, ne exigat: Iurisdictio nisi per ordinarios Iudices ne exerceatur: Mores antiqui, legesque sanctæ sint: Eas contra si quid Princeps decreverit, nemo decreto tenetur. In has leges Comites Hollandiæ, priusquam ab Ordinibus tales agnoscerentur, jura tenebantur. Vnde apparet, Imperium Comitibus non sine exceptionibus datum, & summa semper Ordinum fuisse autoritatem. Tenuit hæc regiminis facies per aliquot secula. Primi Burgundi aliquid de libertate deterere coeperunt, sed parce, Carolus deinde Imperator apertius & validius, at maxime Philippus II, Caroli filius, unde miserrima rerum facies consecuta est. Quippe pro libertate Ordines anno 1572 bellum adversus Philippum decernunt, Guilielmum Arausionensem Principem ducem eligunt: Tandem anno 1581, 26. Iul. tam Hollandiæ, quam Federatorum populorum Ordines pronunciarunt, Philippum, ob violatas imperii leges, Principatu excidisse. Präfuit interim Gubernatoris titulo Guilielmus, & post hunc Mauritius Guilielmi filius, cui jam uti bonorum, ita & virtutum hæres successit Fridericus Henricus. Porro post imperium Philippo abdicatum, quicquid est juris publici, ab Ordinibus gubernatur vel universim per se, vel singulariter per alios. Per se quidem coactis publicis Comitiis. Ea constant duobus membris, Nobilibus, & Civitatum delegatis. Nobilium Ordinem referunt generis splendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme duodecim, quorum ubi quis excesserit, alium ipsi in locum defuncti cooptant. Inter nobiles primum locum obtinent Brederodii. Ex hac classe in comitiis publicis sistere se consueverunt vario numero, nunquam tamen pauciores tribus, qui conjunctim unum tantum habent suffragium, sed primum. Civitates, quæ Legatos suos solent mittere, sunt: Dordracum, Harleum, Delphi, Lugdunum, Amstelodamum, Gouda, Roterdamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enckhusa, Edamum, Monachodamum, Medenblaca, Purmerenda. Penes hunc Confessum summa est Hollandiæ potestas.

At præter hunc, aliis est confessus deputatorum, qui perpetuo Hagæ residet, & quando prior ille Conventus major non habetur, illum quasi repræsentat, ordinum conventum majorem convocat, articulos, de quibus deliberandum est, mittit, &c. Duo insuper sunt Collegia Rationalium. Vnum Vetus, anno 1446 à Philippo Burgundo institutum, penes quod est dire-

ctio, inspectio & administratio patrimonii publici, & eorum, quæ eo pertinent. Vulgo vocatur *de Camer van Reckeninge*. Alterum haud ita antiquum, quippe bellicis hisce temporibus natum: in quo examinantur rationes omnes communium tributorum & vestigialium hujus provinciæ, itemque eorum, quæ extra ordinem ex decreto III. Ord. Hollandiæ & Westfrisiæ exiguntur à subditis: præterea bonorum Ecclesiasticorum, & apparatum bellicorum, denique Vniversitatis Leydensis, &c.

*Curiæ Ins-*  
*diciaria.*

Est & quoddam commune Iuris dicundi tribunal, quod *Curiam Hollandiæ* dicimus, cuius caput est *Præfectus provinciæ*; ad quam à ceteris particularium locorum tribunalibus provocatur. Hic ipsæ quoque urbium controversiæ, aliaque magni momenti disceptantur. In hac sedent veteri instituto viri nobiles, aliisque legum & morum periti, atque I. V. doctores, numero duodecim, quorum unus est *Præses*, cum *Graphario* & *Secretario*. Eliguntur ab Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ (nam & de Zelando rum causis cognoscit) hoc ordine, ut Hollandia nominet duos *Præsides* successively, Zelandia deinde unum. Ex Iudicium autem numero Zelandi tres allegant, Hollandi ceteros. Ab hac Curia ad Mechliniense auditorium appellations institui solebant: quod ut in commune sibi jus diceret, rogatu Principum Burgundorum, diversarum nationum Ordines consenserant. Ejus in locum Hollandi & Zelandi ( anni jam sunt quinquaginta aut circiter, ) novum Conselsum virorum doctrina ac prudentia eminentium instituerunt. *Supremum Senatum* vocant. Ab hujus sententia appellatio non datur. Supplicari tantum DD. Ordinibus solet, ut lectos extra ordinem judges ad Collegium adjungant, qui diligenter exquirant, recte, an per errorem sit judicatum: *Revisionem ejusmodi actum* vocant.

Præter oppida xxxi, mœnibus fossisque *Vibes*, clausa, aliquot culta, nec postremæ sortis existant in Hollandia municipia, à Principibus suis *Município* singularibus dotata privilegiis, inter quæ principem locum facile tuetur *Haga Comitis*, Principis, & Curiæ sedes: *Vlardinga*, *Gravesanda*, *Beverwicum*, *Neoportum*, *Scaga*: his addit *Sevenbergam* in solo quidem Brabantico sitam, juris tamen Hollandiæ, quæ quondam muris fuit cincta: item *Clunderam*, quæ & ipsa quondam municipium fuit, quam vallo cinctit Princeps Auriacus. Ad Bo*Insulae*, realem Hollandiam pertinent aliquot Insulæ, quarum maxima est *Texela*, secunda *Flielandia*, tertia *Schellinga*, Oceano objectæ. Interius sunt, *Wieringa*, *Vick*, & *Ens*.

Habet Insuper Hollandia Australis alias Insulas, *Vornam*, *Goederedam*, *Over-Flacke*, sive *Trans-Flackanam*, *Corendicam*, *Pierschillam*, etiam Territorium *Transmosanum*, *Her Landt van Obermaes*/ *Roterdamo* & *Schiedamo* objectum.

*Regimen  
hodier-  
num.*

*Comitia  
Ordinum.*

*Confessus  
Deputato-  
rum.*

*Curiæ Ra-  
tionales.*